



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

Status personalis forma.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

num, ac tonsuram nō deferre.

Cum autē Visitator Canonicos, aliosuē Ecclesiasticos alloquitur, singulorum etiam statum personale ad inscriptam formam describere poterit. Et secum secundum illorum qualitates agere; ab illisq; quos magis pios, ac zelātes cognouerit, diligentius inquirere poterit, etiam de aliqua persona particulari, vbi diffamatio aliqua, vel legitima suspicio adest. Non tamen sit facilis ad credendum, multoque minus ad aliquem condēnandum, sicut nec etiam ad veniam: Quia facilitas veniæ est occasio ad peccādum: & præcipitatio ad condemnandum est maxima iniustitia.

Mores

Status personalis forma.

Die 27. Februarij 1592.

R. P. Thomas Seraphinus Mediolan. Canonicus S. Ambrosij, fl. q. Petri, & Lucie Abadue iugalium, annorum 35. Cōpletorium die 17. Ianuarij educatus in Seminario decem annis.

Habet tres fratres minores, & sorores quinque: quarū tres sunt nobiles, & duæ nuptæ, & auxilio eius non indigēt.

Patrimonium medioere, & commune cum fratribus; ascendit enim ad reddituum annuum scutorum 800.

Ineubuit literis humanioribus, & Rhetoricæ per biennium, deinde Philosophiæ, ac Theologiæ.

Est corporis constitutione valida.

Clericus à sanctæ memoriæ Cardinali Sanctæ Praxidis die 20. Iunij 1569.

Ostarius ab eodem die 10. Martij 1575.

Lector ab eodem die 28. Septemb. 1576.

Exorcista ab eodem 24. Martij 1578.

Acolitus ab eodem die 20. Decembris 1578.

Subdiaconus ab eodem ad titulum præbendæ, & Canonicatus Sancti Satyri in Collegiata Sancti Ambrosij die 23. Iunij 1582.

Diaconus ab eodem die 25. Iunij 1582.

Sacerdos ab eodem die 30. Iunij 1584.

Canonicus S. Ambrosij, & fuit facta collatio Præbendæ & Canonicatus sub titulo Sancti Satyri vacantis per obitum P. Andreæ Oldradi ab eodem Sanctæ memoriæ Cardinali die 25. Aprilis 1581. quæ præbenda est redditus, Scut 70. vel circa.

Receptus in Canonicum à fratribus die 29. Aprilis 1581.

Ad participationem distributionum admittus die 29. Iunij 1581. quæ distributiones ascendunt ad summam scutorum centum viginti pro quolibet Canonico.

Professionem fidei in Synodo celebrata anno 1582. fecit, & fidem exhibuit.

Nullum aliud beneficium, neque pensionem habet.

Est Syndicus capituli hoc anno constitutus die 3. Ianuarij.

Doctor sacre Theologiæ Mediolani die 25. Octobris 1580.

Habet facultatem audiendi confessiones in genere, etiam Ecclesiasticorū, sub die 21. Ianuarij 1592.

Celebrat ferè quotidie, vt dixit, ex deuotione, excepto onere hebdomadæ ratione collegiata; & vt plurimū in eadem Ecclesia celebrat: aliquando verò in Ecclesia Monialium S. Catharinæ P. N. cum facultate Reuerendiss. Ordinarij sub die 3. Martij 1592.

Diuinis officijs ferè semper interest. Nullis

Nullis alijs occupationibus detineatur: & quod superest temporis in Theologia studium, vt dixit, impendit.

Confessarius eius est Ven. P. Paulus Parochus Sancti Victoris in Theatro, cui singulis saltem hebdomadis (vt ex testimonialibus literis ipsius confessarij apparet) peccata confitentur.

Habitu decentem, & tonsuram ordini congruentem, præter mantellum, quod est nimis breue, defert.

Libros habet, vt in indice.

Videtur satis versatus in concionibus Granatæ, & in libro institutionum piarum.

Habitat in ædibus Canonicalibus cum Ludouico eius fratre Clerico, & Ioanne Alberto eius famulo.

Habet talentum concionandi mediocriter. In cæremonijs Ecclesiasticis satis est versatus. Scribit comprè etiam in lingua latina.

Canit cantu, vt aiunt, firmo, & figurato sufficienter.

Aptus ad regimen alicuius Collegij.

Circa dignitatem habentes, Theologum, Pœnitentiarium, Doctorem, & alios huiusmodi, describat etiam functiones, quas exercent; & alia peculiaris. Inquirat de insignijs dignitatum, à quo introducta, & quo tempore, et si ea loco, & tempore requisitis deferaut, vt à cæteris de Clero distinguantur: eosque admoneat, vt sicut signis cæteris præstantiores dignoscantur, sic etiam moribus, & honestate alijs præcellant. Agat autem præcipuè cum præfecto Chori, & Punctatoribus: & vbi opus est, alios deputet, præstato illis iuramento ad præscriptum: Iisdemque supputationum, & solutionum formam, & erratorum tabellam, quæ ab ipsis punctatoribus notanda sunt, si non habent, tribuat. Præfecto autem instan-

ter iubeat, vt Chori, nec non processio- num, ac funeralium disciplinam ad Conciliorum, ac instructionum præscriptum seruari omnino curet, sicut etiam vt diuina officia horis præscriptis recitentur. Et vt hæc facilius Visitator præstare possit, supputationum formam, erratorum tabellam, ac rationem pulsandi ad diuina officia, scribendam putauit.

Supputationum igitur forma, ex ratione distributionis facile colligitur. Distributio autem ita fieri consuevit, vt Matutino denarij sex attribuantur, Primæ 3. Tertix 3. Sextæ 3. Nonæ. 3. Vesperis 6. Completorio 3. Missæ conuentuali 9. Processioni in Ecclesia 3. extra Ecclesiam 6. Quæ distributiones diebus festis de præcepto duplicantur. Solemnioribus verò vt potè diebus Natiuitatis Domini, Circumcisionis, &c. Omnium sanctorum, Natiuitatis, Annunciationis, & Assumptionis Beatissimæ Virginis, Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, SS. Apost. Petri & Pauli. die festo Patroni, & vbi Pontificalia exercentur, triplicantur.

Supputatio itaque facienda est ad rationem denariorum iuxta vniuscuiusque laborem, & secundum censum, & prouentum massæ: detrahendo tamen vnicuique quod detrahi par est, non solum ratione absentix, sed etiam ratione erratorum, si qua commissa sunt.

In tertijs autem partibus Præbendarum in distributiones collatis, vnusquisque, prout opulentior, tenuiorue sit suæ præbendæ tertia pars, quæ ad distributiones confert, cõsequitur ex præscripta ratione seruitij. Si verò defecerit, equis portionibus cæteris in Choro præsentibus ac deseruientibus accrescit, & pro præsentibus, etiam habentur, qui sacris Canonibus, vel Trid. Synodo: excusantur; vel

Concil.
Prou. 4.
de distr.
quo.

d. c. 1. de
cle. non
resid. &
ibi doct.
Concil.
Prou. 1.
de com.

minif.
Fasch.
lib 1. c.
20. sub
num. 62.
Concil.
Treu. 5.

pro manifesta Ecclesie utilitate absunt; vel ex necessitate, ut est infirmus etiam sua culpa, si, quando in morbum incidit, erat residens, vel pro residente habebatur: ita tamen ut id tantum percipi-

at eo tempore, quod verisimiliter, si factus fuisset percepisset. Quod de distributionibus quotidianis dictum est, procedit etiam in datis interessentibus officio funeris

que ad
dist.
Lap. alle
42.

CAPVT III.

Tabella erratorum, quæ in diuinis officijs ob eundis coërcentur.

QVICVNQVE hebdomadarius, aliusue, qui munus aliquod in diuinis officijs obire debet, stato tempore officij sui subeundi non conuenerit, & munus ipsum per se, vel legitime impeditus per alium non præstiterit, vel de illo impedimento præfectum Chori opportunè certiorè non reddiderit, triū dierū distributionem eo ipso amittat; quod pariter incurrat is, qui huic in ordine succedens, si à Præfecto admonitus, ut absentis vices suppleat, non paruerit.

Idemq; de eo statuitur, qui curā præparandi libros habet.

Nemo in Choro, siue in Ecclesia Sacrationè quicquam, quod ad diuinorum officiorum rationem seu cultum pertinet, fieri iubeat, ijs exceptis, quibus id ex proprio officio incumbit.

Qui secus fecerit, vnius diei distributione plectatur.

Quisquis in Choro, aut in processionibus in aliquo infrascriptorum errauerit, mulctetur illius horæ distributione, quæ cæteris accrescat.

Qui pileum in Choro detulerit.

Qui subirretum in Missarum celebratione ad altare detulerit

Qui Chirothecas in Choro, aut pro-

cessionibus adhibuerit.

Qui in Choro vagatur.

Qui priuatim ibidem officium recitat.

Qui in Choro dormitat, si ab alio Canonico, qui propè assidet, seu ab alio præfecti iussu expergefactus dormitare non destiterit.

Qui literas, libros, scripturasue alias præter eas, quibus tunc pro ratione diuini officij, quod agitur, necessariò vtendum est, perlegerit.

Qui à Chori parte, in qua sedet, aliqua non impeditus valetudine vnà cum cæteris non psallit.

Quique Antiphonas, Responsorias, aliàque id genus ad lectorile non cecinerit.

Qui Antiphonas alias, aut cantus, quam quæ officio conueniunt, cecinerit; quiuè prædictorum partem omiserit.

Qui habitu cuique pro ratione ordinis, loci, temporis, ac officiorum præscriptum non induerit.

Qui Clericalem coronam perspicuam, & ordini conuenientem non gesserit.

Qui caligas, seu alias vestes alterius coloris, quàm nigri gestauerit.

Qui